

tur quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae. Et ideo non est simile.

## COMMENTARIUS.

1. Videtur D. Thom. supponere, non requiri certam quantitatem minimam, seu non habere hanc materiam terminum parvitas. Unde in argumento Sed contra, hoc sumit ut certum, et in corpore potissimum agit de magnitudine, seu multitudine materiae, docens nullum habere terminum magnitudinis, sed in quantacumque quantitate, simpliciter loquendo, posse confici hoc sacramentum, quod probat ex fine institutionis, quia haec materia est propter usum, et hic usus non est determinatus, sed potest majorem et minorem quantitatem requirere; ergo nec materia esse debuit determinata. Sed posset aliquis respondere, negando ultimam consequentiam, tum quia per certam aliquam quantitatem materiae posset majori et minori multitudini fidelium satisfieri, singulis majorem vel minorem partem specierum praebendo; tum etiam quia in singulis locis posset certa quantitas limitari, quae multitudini fidelium, quae in tali loco inveniri possit, sufficiat. Respondetur, sacramentum hoc non debere considerari comparatione facta ad numerum fidelium, qui in uno, vel alio loco existunt, seu existere possunt, hoc enim est accidentarium et extrinsecum; alias si alicubi conficeretur major quantitas, quam ibi posset esse necessaria, non esset valida consecratio, quod erroneum est; debet ergo absolute referri ad fideles, quorum numerus simpliciter indefinitus est; est etiam indifferens portio specierum, quae singulis fidelibus dari potest; denique jure divino non est determinatum, quoties possint fideles hoc sacramento uti, et ideo oportuit quantitatem hujus materiae ex institutione indefinitam esse, quoad magnitudinem.

2. In solutione ad primum non oportet D. Thom. ita exponere, ut asserat omnes res naturales, etiam inanimatas, ex intrinseca sua natura terminari ad maximum; id enim non affirmat, quanquam, quia ad rem non pertinebat, principium illud generale non explicuerit, sed optime responderit, quidquid de illo sit, non esse tamen eandem rationem de sacramento, quod cum res artificialis sit, non ex aliqua naturali forma, sed ex institutione habet proprietates fini suo consentaneas. Adde, in universum verum esse materiam

cujuslibet rei naturalis accipere quantitatem determinatam, per comparisonem ad determinatam formam, quod solum D. Thom. affirmat, sive haec determinatio oriatur ex communi ratione specifica formae, sive aliunde, de quo D. Thom. hic nihil dixit, quia ad disputationem philosophicam pertinet, ex qua constat principium illud Aristotelicum: Omnium natura constantium datus est certus terminus magnitudinis et augmenti, de viventibus proprie intelligendum esse.

3. In solutione ad secundum docet D. Thom. consecrationem hujus materiae factam malo fine ad irrisionem, vel aliquod hujusmodi, esse validam, quia haec intentio non tollit intentionem vere consecrandi, quae doctrina est certissima; sicut certum est malitiam ministri non impedire effectum hujus sacramenti; praedicta enim intentio ad malitiam tantum pertinet, non ad potestatem, vel efficaciam, quae omnia constant ex doctrina tradita de sacramentis in genere. Errat ergo vehementer Angelus, verbo Eucharistia 1, n. 21, qui praedictam D. Thom. assertionem negare audet.

## DISPUTATIO XLIII.

## DE MATERIA REMOTA EUCHARISTIAE IN COMMUNI.

*Disputatio de Eucharistia.* — Quoniam duplex est materia remota hujus sacramenti, tripartita erit illa disputatio. Primo enim ea, quae utrique materiae communia sunt, disputabimus, postea de singulis dicemus, quod D. Thom. in ordine articulo hujus quaestionis observavit; nam his duobus articulis docet quae utrique materiae communia sunt; in 3 et 4 de materia panis, in aliis quatuor articulis de materia vini tractat.

## SECTIO I.

Utrum panis, et vinum, sint propria materia hujus sacramenti?

1. *Errores circa materiam Eucharistiae.* — In hac re variis modis erratum est. D. Thom. tres refert errores. Primum eorum, qui conficiebant in pane et caseo, ex Epiphano, haer. 49, et ex August., lib. de Haer., c. 28. Secundum, Cataphrygarum, in pane ex farina et sanguine infantis subacto conficientium, Epiphano supra, et haer. 48, in fin.; August., c. 26 et 27; Damas., haer. 48 et 49. His conjungi possunt Gnostici et Manichaei, quorum errores

propter modestiam D. Thomas hic praetermissis videtur; hi enim in semine humano corpus Christi conficiebant, ut ex Gnosticis refert Epiphano, haer. 26, vel in pane, humano semine consperso, ut de Manichaeis refert August., c. 46. Numerari etiam hic possunt Ophitae, qui, ut idem August. refert, c. 47, colubrum aiebant juxta altare, qui per incantationem sacerdotis, sacrificii tempore egrediebatur et panem lambebat, in quo Eucharistia consecrari posset, quod etiam refert Tertull., de Praescript. haereticorum, c. 74. Tertia haeresis a D. Thom. relata est Aquariorum, qui non in panis, sed in materia vini errabant, solam aquam ad sacrificium apponendo, ut refert Isidor., lib. 4 Etymolog., c. 5; et Cypr., ep. 63; Clemens Alexand., lib. 2 Paedag., c. 2, circa fin., et lib. 4 Stromatum, ubi hos haereticos appellat, quia ab Ecclesiae regula declinant; Chrys., Homil. 93 in Matth., exponens illa verba, non bibam amodo de hoc genimine vitis, ubi dicit Christum, vino utendo post resurrectionem, eorum perniciosam haeresim destruere voluisse, qui aqua in mysteriis utuntur. Et hanc haeresim tribuit Ebionitis Epiphano, haer. 30, Marcionistis in 42, Taciano et Encratitis in 47; idem Theodoret., lib. 4 Haeretic. fabularum. Manichaeos etiam necesse est in eodem errore fuisse versatos; vinum enim abominabantur, teste August., lib. 20 contra Faustum, c. 43, et Leone Papa, serm. 4 Quadragesimae, c. 4 et 5. His adungi possunt, qui lac loco vini offerebant, ut refertur in Concil. Bracharensi III, c. 4, vel lac et mel, ut indicatur in Concil. Carthagin. III, c. 24, et damnatur, can. 57 Trullano post sextam synodum. Ac denique qui in sanguine menstruo mulieris conficiebant, ut de Gnosticis refert Epiphanius, haer. 26; sed hi omnes errores nullum habent vel apparens fundamentum, quod dissolvere oporteat.

2. Veritas ergo catholica est, materiam simpliciter necessariam ad conficiendum corpus Domini esse panem, vinum vero ad sanguinem. Est de fide, quae fides colligitur primo ex facto Christi Matth. 26; accipiens enim panem consecravit in illo, et similiter postea accipiens calicem; quod vero in calice illo fuerit vinum, videtur colligi ex verbis, non bibam amodo ex hoc genimine vitis, quae Matth. et Marc. statim post consecrationem calicis referunt, et ita esse dicta de illo calice consecrato, indicat Chrys. supra, et exponit August., l. 3 de Consensu Evangelistar., c. 4; Lucas

autem, c. 22, aperte distinguit duos calices, alium communem, qui praecessit in cena legali, et alium consecrationis, et refert illa verba ante consecrationem, unde indicat dicta esse de priori calice, ut exponit Hier. in Matth., Theophyl. et alii in Lucam. Quidquid vero de hoc sit, Ecclesia tamen semper intellexit utrumque calicem fuisse vini, quod praeter contextum Evangelicum, ex ipsa voce calicis colligi potest; significare enim solet in Scriptura sacra vas continens, vel aptum ad continendum vinum, vel e contrario potum vini in vase contentum. Unde Ps. 22: *Calix tuus inebrians quam praclarus est?* Ex hoc autem facto Christi colligitur necessitas hujus materiae, quia, ut supra ostendimus, in illo facto instituit hoc sacramentum, unde subdit: *Hoc facite.* Et confirmari potest illis locis veteris testamenti, in quibus sub pane et vino hoc sacramentum praefiguratum est, quae supra retuli. Secundo probatur haec veritas ex definitione Conciliorum; praeter tria enim supra citata, habetur in Florent. in decret. Eugenii, et in Lateran. in c. Firmiter; colligitur ex Trident., sess. 13, 24 et 22; et ex c. 23 Trullano post sextam Synodum; et ex Concil. Wormatiensi, c. 4; Altisiodorensi, c. 8; Matisconensi II, cap. 4; et ex c. Cum Marthae, de Celebrat. Missarum, et aliis, quae habentur de Consecratione, d. 2. Tertio probari hoc potest ex traditione Ecclesiae, quae ex Patribus supra citatis colligi potest, quibus addi potest Hier. in c. ultim. Amos, circa fin.; Theophyl., Mar. 14; Amb., 4 de Sacram., c. 3, ubi figuram Melchisedech accommodat; August., lib. 20 cont. Faust., c. 3, ubi refert, propter hanc consuetudinem sacrificandi ex pane et vino Gentiles imposuisse Christianis, quod Cererem et Liberum colerent; et huc etiam spectat, quod refert Justin. Martyr, Apolog. 2, circa finem, et Tertull., de Praescriptionibus haereticorum, c. 40, daemone in invidiam hujus mysterii, panem et poculum cum quibusdam incantationibus miscuisse in quibusdam superstitionibus gentium, quas vocabant Mithrae mysteria. Hanc denique veritatem docent omnes Patres factum Christi, tam super Evangelia, quam super 1 ad Cor. 11.

3. Quarto, quoniam praecipua ratio hujus est Christi instituentis voluntas, adducunt Theologi congruentias, ut videre est in D. Th. hic, et in aliis Doctoribus, d. 9, et consequentibus; Alex. Alens., 4 part., q. 23, memb. 1, art. 1; Gabr., lectio 35 in can. Summa omnium ad tria capita revocatur. Primo enim

suppono, corpus et sanguinem Christi tradi nobis sub specie sensibili, quia hoc est de ratione sacramenti, et est modus accommodatus homini sensibili; oportuit autem, ut esset sub specie aliena et non propria, tum propter exercitium fidei, tum etiam quia edi et bibi in propria specie, nec esset decens, nec fere possibile. Secundum caput est, has species accommodatissimas fuisse panis et vini. Primo, quia sunt facillimæ ad communem usum fidelium. Secundo, quia sunt aptissimæ, ut cum reverentia et decencia tractentur. Tertio, quia sunt accommodatæ ad significandum tam corpus Christi verum, quam mysticum, tum quia corpus hominis præcipue nutritur pane et vino; tum etiam sicut panis ex multis granis conficitur, ita corpus Christi verum ex purissimis membris, mysticum vero ex multis fidelibus coadunatur, ut notarunt Cyprian., ep. 63, et August., tract. 26 in Joan. Species autem vini constat esse aptissimas ad significandum sanguinem, quia vinum est calidum, et humidum, et ideo maxime auget sanguinem, de quo videri potest Isid., l. 20 Etymol., c. 3; habet etiam proportionem ad significandum corpus mysticum, quatenus ex multis uvæ granis efficitur. Quarto, denique fuit apta hæc materia, ut ex illa incruentum sacrificium conficeretur et offerretur Deo, tanquam supremo Domino, quoniam panis et vinum sunt veluti primitiæ creaturarum, sub quibus in Scriptura sacra omnia bona comprehenduntur. Quam rationem indicavit Irenæus, lib. 4 contra hæreses., c. 32, circa finem. Tertium caput est, quia oportuit utramque speciem assumi et non alteram tantum. Primo, ut dum sub altera corpus, sub altera vero sanguis Christi conficitur, expressius illius mors, et disjunctio corporis ab anima significaretur. Secundo, ut esset integram convivium ex cibo et potu, quo perfecta animæ refectio representatur. Tertio, ut indicaretur Christum perfecte redimisse corpus, et animam, quæ per panem et vinum representantur. Unde Ambros., 4 ad Cor. 11, dicit, carnem Salvatoris pro salute corporis, et sanguinem pro anima nostra oblatum esse, hoc sacramento significari. Quarto etiam ad completam rationem sacrificii indicari oportuit per has species, Deum esse corporis et animæ supremum Dominum, et utrumque esse in laudem et gloriam ipsius referendum.

4. *Objectio.* — *Solvitur.* — Contra hanc veritatem nihil video objici posse, quod difficile sit; solum ex can. 3, 4 et 5 Apostolorum

posset nonnullum argumentum sumi; ibi enim permittuntur offerri in altari, uvæ, oleum et incensum, alia vero prohibentur. Sed oportet ibi duo distinguere: vinum, quod offertur in ipso sacrificio a Domino instituto, in quo nihil offerri debet præter id, quod a Domino præceptum est, ut ibidem dicitur; aliud vero, quod per modum cæremonie seu cujusdam sacramentalis offerri dicitur ad altare, et hoc pendet ex institutione Ecclesie, et non pertinet ad materiam hujus sacramenti, ut per se constat; et de hoc est sermo in posteriori parte illius canonis; agit enim de iis, quæ in gratiarum actionem, vel pro aliqua benedictione suscipienda, vel ad ornatum et venerationem sacrificii ad altare accenduntur, cremantur et ad sacerdotes afferuntur.

#### SECTIO II.

An utraque species panis et vini, sit de necessitate hujus sacramenti, vel tantum præcepti.

1. Questionem hanc attigit D. Thom. hic, art. 1, ad 2, et quamvis ad doctrinam de forma hujus sacramenti, et de sacrificio Missæ, pertinere posset, tamen necessaria etiam hoc loco est, ut connexionem utriusque partis materiæ explicemus. Item, quia utilis admodum erit ad multa intelligenda, quæ in sequentibus tractanda sunt. Potest autem in illa attingi aliquid pertinens ad necessitatem hujus sacramenti, aliquid vero ad necessitatem præcepti; ne tamen materiam dividamus, omnia breviter hoc loco expediemus.

2. Primum igitur omnium sumimus ex dictis præcedenti questione, hanc duplicem partem materiæ esse necessariam ad integram perfectionem et significationem hujus sacramenti; quod ergo nunc inquiritur, est, an hæc integritas ita necessaria sit, ut non possit una ex his materiis sine alia consecrari, et potest esse questio, vel de necessitate sacramenti, et potestate simpliciter; vel de necessitate præcepti, et potestate licite faciendi.

3. *Conclusio prima.* — Dico ergo primo, unam ex iis materiis, prius tempore consecrari, quam aliam; statim enim, ac sacerdos absolvit verba consecrationis panis, adest ibi corpus Christi, antequam sanguis conficiatur. Quod recte docuit Bern., ep. 69 ad Guidonem; et Innocent., lib. 4 de Officio Missæ, c. 23; et D. Thom. infra, quæst. 78, art. 6; et in 4, d. 8, quæst. 2, art. 2, quæst. 2, ubi fere reliqui Theologi; Durand., quæst. 3; Palud., quæst. 3, art. 3; idem D. Thom., dist. 11,

quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 1, ad 4; et ibi Soto, quæst. 1, art. 6; Alens., 4 part., q. 34, memb. 4, art. 1; et colligitur aperte ex consuetudine Ecclesie; statim enim ac perficitur corporis consecratio, proponitur populo adorandum, ut habetur in c. Sane, de Celebrat. Missar. Et ratio colligitur ex Concil. Trident., sess. 13, c. 3, et can. 4, dicente, statim post consecrationem esse corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini, quod respective intelligendum est, scilicet peracta consecratione panis, statim adesse ibi corpus Christi, etc. Et hoc probat ratio, quam subdit, quæ est primaria et propria hujus veritatis, scilicet, quia, antequam Christus calicem consecraret, dixit: *Hoc est corpus meum*, et verum dixit; ergo jam illud erat corpus Christi; ergo consecratur altera materia ex vi veritatis formæ prius tempore, quam altera conficiatur; sicut enim significatio unius formæ non pendet ab altera forma, neque veritas et effectus ejus seu consecratio unius materiæ pendet essentialiter ab alia, et ita hæc pars est certa de fide.

4. *Objectio.* — *Solutio.* — Objici vero potest, quia in extrema unctione, quamvis sint plures partiales formæ et materiæ, nihil tamen conficitur, neque ullus effectus datur, donec omnes partes absolvantur; ergo idem dici potest in proposito; neque erit contra veritatem formæ, quia ex intentione profertis potest omnium significatio referri ad ultimum instans, in quo omnia consummata sint, sicut in extrema unctione fieri necessario dicendum est. Respondetur (quidquid sit de antecedenti, quod in questione verti potest, non est tamen hujus loci) negando consequentiam. Primo ac præcipue, quia hoc pendet ex institutione Christi; Christus autem ita instituit unum sacramentum, et non aliud, ut constat ex traditione Ecclesie. Et instari potest argumentum in sacramento Ordinis, nam in singulis Ordinibus aliquis effectus confertur, et per partialem formam, et materiam, quasi partiale sacramentum conficitur. Secundo redditur ratio ex ipsis formis, nam in extrema unctione est tantum forma deprecativa, et ideo ex vi suæ significationis et veritatis non postulat, ut statim operetur, sed pro eo tempore, pro quo fit deprecatio; secus vero est de forma hujus sacramenti, quæ est indicativa, cujus veritas requirit, ut ita sit, sicut per illam significatur. Tertio est etiam differentia in effectu, nam in extrema unctione effectus est in suscipiente, et est unus

habens quodammodo connexionem cum omnibus partibus; nam est gratia perfecte remittens omnia peccata per omnes sensus commissa, et auxilium adjuvans ad omnes difficultates ægritudinis superandas, quod per modum unius confertur. Ac denique quia licet interdum aliqua reliqua peccatorum, aut venialia peccata remitti possent sine aliis, sæpe tamen unum et idem peccatum potest committi, cooperantibus pluribus sensibus, et ideo, absolute loquendo, hic effectus postulat, ut fiat per modum unius et indivisibilis, absoluto jam et perfecto sacramento. At vero in præsentem, effectus formæ est in ipsa materia, et per se ac necessario non est unius effectus connexus cum effectu alterius, quia corpus de se potest esse separatum a sanguine, et e contrario, licet de facto non sit. Ac denique cibus potest tempore antecedere potum.

5. Dico secundo, non esse de necessitate sacramenti, seu consecrationis unius partis materiæ, consecrationem alterius, sed posse unam sine altera consecrari, ita ut factum teneat; sequitur aperte ex præcedenti conclusione, et ita docent omnes auctores citati. Et probat D. Bernard. supra, quia panis consecratur prius tempore, quam vinum; ergo quacumque ratione, sive per ignorantiam, sive per oblivionem, et incuriam, sive per malitiam, una materia sine alia consecratur, manebit materia consecrata; ergo non est necessaria connexio inter has duas materias, quæ ad necessitatem simpliciter sacramenti conficiendi pertineat. Patet prima consequentia, quia confectio sacramenti non pendet ex futuro effectu, nec præsentia corporis Christi sub speciebus panis, ex futura præsentia sanguinis sub speciebus vini, præsertim, cum de fide sit, ut infra dicemus, conservari species panis consecratas, etiam si consumptæ sint species vini.

6. *Objectio altera.* — Dico tamen posset, verum esse, unum effectum non pendere ab alio re ipsa, cum per accidens ex variis causis impediri possit, pendere tamen ex intentione operantis, ita ut si minister a principio intendat, unam solam speciem, et non aliam conficere, nihil efficiat. Sed hoc vanum est, et præter sensum Ecclesie, nam in omni sacramento, si minister intendat efficere quod verba significant, quodque de se efficere possunt circa materiam subjectam, illa intentio sufficit ad effectum; sed hæc intendit sacerdos, etiam si non intendat aliam partem conficere; ergo sine ulla dubitatione conficit

illam partem, quam intendit. Sicut Episcopus vere confert unum Ordinem, etiam si intendat nunquam alium conferre.

7. *Solvitur.* — At vero posset aliquis instare, esto hoc verum sit de pane respectu vini, non tamen ita esse e contrario, quia fieri potest, ut consecratio vini essentialiter supponat consecrationem panis, Christus enim hoc ordine consecravit. Respondetur, ex hoc Christi exemplo, et ex usu Ecclesiae, recte colligi hunc ordinem esse præceptum, ut notavit Sotus, d. 11, quæst. 4, art. 6, quod est etiam rebus ipsis consentaneum, quia cibus recto ordine antecedit potum; tamen quod hic ordo sit essentialis, omnino falsum est. Quocirca, si sacerdos ex malitia prius consecret vinum, quam panem, vel solum vinum, sine dubio factum tenebit, quia, ut ostensum est, una consecratio non pendet ab alia; ergo multo minus pendebunt ex ordine. Item ob illam rationem, quod debita forma prolata super debitam materiam, a ministro necessario, cum sufficienti intentione, infallibiliter habet effectum. Denique, quia species vini consecratae conservari possunt, etiam si species panis omnino non maneat; ergo etiam in fieri non necessario supponunt illas, de necessitate sacramenti loquendo.

8. *Conclusio secunda.* — Dico tertio, de necessitate præcepti esse, ut una materia non conficiatur sine alia. Ita docet D. Thom. hic, ad secundum, et omnes Theologi infra citandi; Innocent., lib. 4 de Mysterio altar., cap. 23; et habetur in cap. Comperimus, de Consecr., d. 2, ubi dicitur, non posse absque grandi sacrilegio dividi mysterium; et usus Ecclesiae hoc satis probat. Et ratio est, quia licet una materia non sit de necessitate alterius, tamen utraque est de integritate sacrificii; est autem contra rationem, divinum sacrificium mutilare. Unde facile solvitur obiectio, quæ fieri potest, scilicet, quia non est de necessitate præcepti sumere utramque speciem; ergo nec conficere. Primo enim negatur consequentia, quia sumptio non est sacrificium, sed usus sacramenti, qui quoad rem præcipuam, et fortasse etiam quoad totum effectum integer est in qualibet specie; at vero consecratione perficitur sacrificium, cujus significatio non esset integra, nisi in utraque materia fieret. Unde dicitur secundo, sumptionem illam, quæ aliquo modo pertinet ad sacrificium, scilicet, quæ ab ipso presbytero offerente fit, etiam requirere integritatem, et utriusque speciei communionem, ut

infra suo loco dicitur, et constat ex eodem usu Ecclesiae, et ex c. Relatum, de Consecrat., dist. 2.

### SECTIO III.

An ex præcepto divino vel humano necessarium sit in duplici materia confici hoc sacramentum.

1. Quoniam diximus, concursus utriusque materiae, licet non sit de necessitate ipsius consecrationis, esse tamen de necessitate præcepti, explicare oportet, quale sit hoc præceptum. Prima sententia dicit, hoc tantum esse præceptum Ecclesiasticum. Indicat D. Th. in 4, d. 11, q. 2, art. 1, q. 4, ad 4, ubi negat, consecrandam esse alteram speciem solam tantum, quia est contra morem Ecclesiae. Tenet etiam Adrian., quæst. 6 de Eucharist., ubi ex sententia Alex. Alensis dicit, potius esse relinquendum hoc sacramentum mutilum, et in una tantum specie confectum, quam sumendum a non jejuno, ut frequenter accidit, quando sacerdos post sumptionem calicis intelligit fuisse aquam, et non vinum in calice, tunc enim solus panis consecratus fuit; hoc autem non esset verum, nisi supponeretur, solum ex præcepto Ecclesiae teneri sacerdotem ad perficiendam consecrationem in utraque specie, nam si esset divinum præceptum, præferendum esset alteri præcepto de non communicando, nisi ante cibum et potum, quod Ecclesiasticum est, et minoris momenti. Major etiam in 4, dist. 9, quæst. 3, ad tertium, hanc tenet sententiam, quamvis melius contra Alensem dicat, in prædicto casu magis obligare hoc præceptum, quam aliud de jejuno, quia licet utrumque Ecclesiasticum sit, illud tamen est gravius. Item Summa Tabiena, verbo Eucharistia, 1, num. 20, et Pisana, verbo Eucharistia, 2, § 12. In eadem sententiam inclinare videtur Navarrus, cap. 25, num. 91, vocans hoc præceptum Ecclesiae; late Claudius de Sainctes, repet. 10, cap. 3, et alii, qui existimant, per Ecclesiam posse in hoc præcepto dispensari, quos infra referam.

2. *Fundamenta primæ opinionis.* — Primum. — Fundamentum est, nam si hoc præceptum esset divinum, vel esset extrinsecum institutioni hujus sacramenti, et post illam specialiter positum, vel intrinsece in illa contentum. Primum horum non videtur dici posse probabiliter, quia nec tale præceptum scriptum est, nec traditione aliqua probabiliter constare potest. Secundum vero refellitur,

primo, quia de institutione hujus sacramenti solum habemus factum Christi, qui in utraque materia confecit, et postea subdidit illa verba, *Hoc facite*; sed in neutro horum continetur intrinsece tale præceptum. Et primo de facto Christi patet, quia etiam ibi non solum confecit utramque materiam, sed etiam ex utraque onnes circumstantes communicavit, ex quo facto non colligitur esse præceptum, vel danti communionem sub utraque specie, vel communicandi circumstantes, quando conficit hoc sacramentum. Secundo, quia multi probabiliter existimant, Christum, Lucae 24, confecisse hoc sacramentum post resurrectionem, quando cognitus est a discipulis euntibus in Emaus in fractione panis, et tamen constat, ibi unam tantum speciem confecisse, nulla enim fit mentio vini. Illud vero sentit August. 3 de Consens. Evangelist., c. 25, et epist. 59, quæst. 8, in fine; Hesychius, lib. 2 in Levit., cap. 9; Theophyl. in Lucam; et significat Chrysost., hom. 27 Imperfecti, in fine, ibi de hoc etiam mysterio interpretari videtur locum Actor. 27, ubi Paulus sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium, et cum fregisset, cepit manducare, et distribuere. Sed neque etiam ex verbo Christi, *Hoc facite*, potest efficax argumentum sumi, quia non potest illud verbum comprehendere omnia, quæ Christus operatus est, et maxime, quia Lucae 22 et 4 ad Cor. 11, habemus, Christum, post singulas species consecratas, semel et iterum dixisse verbum illud. Unde potius sumi videtur argumentum Christum dedisse facultatem singulas species consecrandi, vel simul, vel separatim.

3. *Secundum.* — Secundo principaliter arguuntur, quia neque ex integritate sacramenti, nec sacrificii, colligi potest tale divinum præceptum. Primum patet, quia sacramentum potest conservari, et sumi in una tantum specie, et in his non fit contra integritatem sacramenti; ergo idem erit de confectione sacramenti, non est enim major ratio de fieri, quam de ipso esse, vel sumptione. Et ratio communis est, quia Christus integer est sub singulis speciebus, et ita est sacramentum integrum, quoad rem præcipuam, et quoad effectum, et fere quoad significationem, quia singulae species significant totum Christum et unionem fidelium; solum videtur deesse quaedam expressior significatio, quæ non videtur sufficiens ad inducendum illud præceptum, magis in consecratione, quam in

conservatione, vel sumptione. Et hæc ratio videtur probare etiam alteram partem de sacrificio, quia in una specie offertur Deo totus Christus, et significatur passio ejus, nam hoc ipso, quod ex vi verborum consecratur corpus sine sanguine, satis indicatur aliquando fuisse suum sanguinem per passionem. Adde, non satis constare, hoc sacramentum necessario conficiendum esse sacrificando; posset enim, ut videtur, interdum confici extra sacrificium præcise, et propter usum sacramenti, quomodo distinguunt aliqui jure divino prohibitum esse sacrificium hoc conficere in una tantum specie, non tamen conficere ipsum sacramentum præcise propter usum ejus.

4. Secunda sententia affirmat, hoc esse necessarium ex præcepto divino. Ita tenet Marsil. citans Thom. de Argent. in 4, q. 6, art. 1; Palud., dist. 11, quæst. 1, art. 2, concl. 3; Cajet. infra, quæst. 80, art. 12; Gabr., lect. 40 in can., Littera; D. Hosius in confessione Polon., cap. 40, ubi non solum dicit a Christo præceptum sacerdotibus, ut simul utramque speciem conficiant, sed etiam sumant, quando sacrificant, quamvis laicis hoc non præceperit. Idem supponit Sylvest., Eucharistia, 1, quæst. 5, dum negat, Papam in hoc posse dispensare, in quod etiam inclinat Soto, d. 9, quæst. 1, in fine, et favet hic D. Thom., art. 1 et 2, et infra, quæst. 80, art. 12, ad 3, ubi sic inquit: Representatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, et ideo non debet corpus sine sanguine consecrari; in quibus verbis attingit fundamentalem rationem hujus sententiæ, quæ oritur ex ipsa rei natura, supposita tali institutione et significatione, quæ videtur sine dubio probabilior; ad quam explicandam et fundandam,

5. *Conclusio prima.* — Dico primo, de jure divino institutum esse, ut hoc sacramentum non conficiatur, nisi offerendo Deo sacrificium incruentum a Christo institutum. Hoc videtur certum ex facto Christi cum verbis adjunctis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Per quæ, ut Trident. exposuit, sess. 22, cap. 1, præcepit sacerdotibus, ut hoc offerrent in sui memoriam, propter quod Ecclesia in canone Missæ, post consecrationem corporis, et sanguinis, subjungit illa verba: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Est igitur hæc divina institutio, ut consecratio hujus sacramenti fiat offerendo Deo sacrificium incruentum, quod evidentius